

Dieses Werk wurde Ihnen durch die Universitätsbibliothek Rostock zum Download bereitgestellt.

Für Fragen und Hinweise wenden Sie sich bitte an: digibib.ub@uni-rostock.de

Peter Hinckelmann Bartholomäus Smoldius


**De Anabaptismo Disputatio Elenctica Decima Octava, Et Ultima. Complectens
Sectae Anabaptisticae Errores, refutatos in locis De Resurrectione Carnis Et
Statu Post Mortem**

Rostochii: Pedanus, 1613

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn737667206>

Druck Freier  Zugang



The image shows the front cover of an antique book. The cover is made of marbled paper with a dark, irregular pattern of light brown, tan, and reddish-brown spots and veins on a black background. A small, rectangular, off-white paper label is pasted near the bottom left corner. The label contains handwritten text in black ink.

P. Kinkelmann.
R. U. theol. 1613.



(1)	Joh. Hallerius, De SS. scriptura	1613
(2)	D. Dreyzener, De Deo trinitate	1613
(3)	N. Waltherius, De Persona Christi	1613
(4)	M. Strikius, De baptismo	1613
(5)	F. Taurianus, De cena domini	1613
(6)	A. Friderici, De peccato originali	1613
(7)	J. Blantshagen, De ecclesia	1613
(8)	J. Nullius, De ministriis ecclesiae	1613
(9)	J. Sperberius, De ministerio ecclesiastico	1613
(10)	E. Loleius, De justificatione	1613
(11)	L. Gammelius, De bonis operibus	1613
(12)	F. von Bülow, De libertate christiana	1613
(13)	P. Schaeffingerius, De magistratu politica	1613
(14)	F. von Dike, De iudicio	1613
(15)	C. Michael, De coniugio	1613
(16)	D. Nestorius, De jure amanto	1613
(17)	G. Nachanus, De mercatoria	1613
(18)	J. Smoldius, De resurrectione	1613

18

DE ANABAPTISMO
DISPUTATIO ELENCTICA
DECIMA OCTAVA,
ET ULTIMA.

Complectens Sectæ Anabaptistica Errores, refutatos in locis

De

RESURRECTIONE CARNIS ET STANTU POST MORTEM.

Quam

Divinâ S. S. Spiritus assistente gratiâ,

Sub Præsidio

M. PETRI HINKELMANNI

Verbi Divini Ministri,

Private *ovlgynd* subiicit.

BARTHOLOMÆUS SMOLDIUS RIG:LIVO:

14. Calend. Octob. Horâ & loco consuetis.

ROSTOCHII

Litteris Joachimi Pedani, Anno 1613.



ΣΥΝΘΕΩ.

DISPUTATIO ANTICATABAPTISTICA
XIX. & Ultima.

18

**DE RESURRECTIONE CAR-
NIS ET STATU POST MORTEM.**

CONTINVATIO.

Vidimus hactenus ὥσπερ εἰ γέγονη plerosq; bla-
phemos & crassos Anabaptistarum Errores, quos
illi partim in Articulis ad fidem pertinentibus fo-
vent, partim de ordinationibus Statū civilē & Oe-
conomicum spectantibus crepant & eructant. Re-
stat ut consideremus quā miris delirisq; opinionib⁹ abrepti ex-
tra se, imo extra huius universi orbem ferantur, & ne scio quæ
tām de futurā carnis resurrectione, quām animarum à corpo-
re solitarum conditione & statu absurdissima comminiscantur
& somnient somnia. Quid mirum verò, occæcatos hos Endymi-
ones nullum intueri vel respicere scripturarum lumen? Nihil
enim cæcō cum speculo. Nos tamē, quibus puriores à Deo ocu-
li concessi ultimam hanc Disputationem, ut & in præcedenti-
bus factum est, in lumine Christi & ad lucem verbi divini con-
templemur, expendamus, & ab erroreis Anabaptistarum quis-
quilijs purgemus atq; vindicemus. Itaq; usitata methodo eam
duobus hisce capitib⁹ libet absolvere. I. De Resurrectione Car-
nis. 2. de Statu post mortem.

CAPUT PRIMUM.

De Resurrectione Carnis.

Error.

Fore resurrectionem ex mortuis, verūm eandem
A 2 ipsam

ipsam carnem & sanguinem, sicut iam habemus, regnum Dei possessa, nunquam docuimus; sed contrarium: nempe carnem & sanguinem regnum Dei non possessa. Quale autem corpus mihi Dominus datus sit, & quantum de hac carne, & de his ossibus, ad illud corpus sit usurpus, ipsi permitto.

REFUTATIO.

Quod hæreticis admodum familiare esse solet, ut palliandis suis Erroribus eloquia Dei aptare conentur, easq; sape detorquent (a) ad suam ipsorum perniciem. Hoc Anabaptistis in tam crebro usu esse reprehenditur, ut paradoxis etiam absurdissimis cœlestia accommodare oracula non vereantur. Absurdum est, quod negant, hæc eadem nostra corpora & eandem hanc nostram carnem è mortuis excitatum & in calos translatum iri. Quod tamen ne sine Dei verbo asseverare videantur, Paulinum illud: Carnem & sanguinem Regnum Dei non possessa, huc trahunt & detorquent, ut illud ipsis loquuntur, quod ante lectionem presumperunt intelligendum. Nos vero hanc adversariorum absurditatem eiw q̄ probationem refutabimus, nostramq̄ orthodoxam sententiam, de ejusdem nostræ carnis & sanguinis resurrectione probabimus.

I. Ex S.S. Scripturæ testimonij. Ac initio quidem occurrit in V.T. illud Iobi (b) qui de pellis carnisq; sua restituitione certus, non anima solum, sed & hoc ipso corpore se excitandum aeternæ beatitudinis & vita participem fore innuit. Custodit enim Deus omnia ossa sanctorum: Unum ex his non conteretur. Quò pertinet tota illa visio Ezechielis, de ossium aridorum & passim in campis diversoru vivificatione & coagulatione, item q̄ aliorum Prophetarum dicta: Vivent mortui tui, corpus seu cadaver meum resurgent: Sic: Caro mea requiescat in spe, scilicet Resurrectionis. Quoniam non derelinques cadauer

ver meum in sepulchro. Deus cadaver meum ex sepulcr ova-
dicabit, quoniam suscipiet me. Plura verò & maximè illustria
sunt Christi & Apostolorum in N.T. testimonia, quibus liqui-
dè probatur, quod corpora nostra in resurrectione mortuorum
sint futura eadem quo ad & cīav, licet alia & diversa quo ad & o-
ðrntæ. Oportet enim Corruptibile hoc induere incorruptionem.
Unde Tertullianus inquit. Eandem nostram effientiam di-
gito demonstrat Paulus, magis expreße non poterat loqui, nisi
eudem suam manus teneret. Quid? quod Deus vivificatus
sit mortalia nostra corpora & vitam Iesu in ihs manifestatus.
Si autem non eadem haec corpora nostra resurgent que iam ha-
bemus, quomodo viviscabuntur illæ, & vita Christi in ihs ma-
nifestabitur? Quocirca effundet non solum terra sed & mare
corpora defunctorum omnia, quæ absumpsi, quæ animabimur suis
junctæ reviviscant.

2. Ab exemplo Christi. Si (c) caput Ecclesia, & primus
ex Resurrectione mortuorum eodem suo corpore resurrexit, quod
pro nobis in mortem tradidit, utiq; & nos membra eius, ijsdem
hū corporibus resurgemus & coram Deo vivemus. Verum il-
lud: E. & hoc. Assumptio probatur ex oculari demonstratione
Christi, qua se discipulus suis conspiciendum & contrectandum
exhibuit. Quin & Christus idem corpus quo ad substantiam
etiamnum habet superē habiturus, cum nunquam deponat s
quod semel assumpsi. Nostra autem corpora conformia redden-
tur corpori ipsius gloriose τοῦ θωοῦ & τοῦ πονοῦ. Quare & eadem
excitabuntur & mutatis tantum qualitatibus pro essentia ratio-
ne invariata manebunt.

3. Ab evidenti ratiocinatione. 1. Quod cecidit eius est re-
surgere: Atque hoc, quod circumferimus corpus, cecidit: Ergo re-
surgent. Qua de causa in aliquot Ecclesijs Orientis hunc fidei
articulum deuinque pronunciārunt. Credo huius carnis resur-
rectionem. 2. Nota insuper est Christi ratiocinatio ex verbis Ex-

Ioh. 5. 25.
c. 61. 39. 40.

Rom. 8. 11.
1. Cor. 4. 10.

Apoc. 20. 13

c) Collos. 2.
10. Act. 26.
23.

Luc. 24. 39.
Ioh. 20. 21.
Philip. 3. 21.

Exod. 3. 6.
Matt. 22. 31.

odi, quæ evincit. Abraham Isaac Jacob, non tantum meliori
sui parte superstites Deo jam vivere, sed etiam victuros esse una
cum corporibus resuscitatis ad omnem aeternitatem. Anima n.
Abrahæ propriè loquendo non est ipse Abraham, sed pars eius.
Deus igitur de corporibus Abrahæ Isaac & Jacobi revicturus,
non aliter quam de presenti loquitur. 3. Quin totus homo ad
immortalitatem conditus est. E. non solum anima, sed & idem cor-
pus, ex quibus inter se iunctis & copulatis homo constat, vita a-
eterna particeps redditur. 4. Cumq; finis hominis sit beatitudo,
quam in hac vita misericarum plena, homo, dum in corpore
versatur, asequi nequit; attamen homo propter eam etiam con-
ditus sit; sequitur necessario corpora etiam revictura esse, ut ho-
mo totus aliquando finis sui, seu beatitudinis proposita compos fiat.

1. Cor. 3. 16.
17. & 6. v. 15.

9.
Rom. 12. 1.

Rem. 6. 13.

4. Ab absurdo. 1. Impossibile est templo Dei & Spiritus
S. domicilia sic destrui, ut penitus annihilentur, nec restauren-
tur unquam. At fidelium corpora non unquam restaurabun-
tur, ut Anabaptista contendunt. E. corpora fidelium non erunt
templo Spiritus sancti. Conclusio est absurdæ & scriptura con-
traria. (e) 2. Si non eadem sanctorum corpora, quæ illi in hac vi-
ta hostiam viventem Deo exhibuerunt, resuscitabuntur, sed in
terra relinquuntur; nova autem creabuntur & glorificabun-
tur, quæ Deo tamen non servierunt; tum hoc omnino Iusticia &
misericordia Dei contrarium erit. Aliud enim certasset &
aliud coronaretur. Sed multò rectius inquit Gregor. Caro
qua fuit socia crucis, erit etiam socia gloria. 3. Deniq; si non ea-
dem impiorum corpora excitanda & punienda, quæ ipsi prabu-
erunt arma iniusticia, sed alia creanda & animabus associan-
da essent, tum Deus iniustus, tum anima & corporis societas ini-
qua esset. O absurdam impietatem! Nunquid Deus nova cor-
pora impijs creabit, & illa licet non peccârint, aeternis tormentis
subjicet? Num corpore planè abolito anima pœnam & mor-
tem eternam solummodo sustinebit?

5. Ab

5. Ab autoritate Patum, quorum suffragijs non minima debetur fides; imprimis Tertulliani (f). Absit ut Deus manum suarum operam (intellige carnem & sanguinem seu corpus humanum) ingenij sui curam, affatus sui vaginam, liberalitatis sua hæredem, religionis sua sacerdotem, testimonij sui militem, Christi sui sororem, in aeternum destituat interitum. Athanasij: Confido in Domino quia necessario resurrectionis tempore hoc corpusculum resurget incorruptum. Hieronym: Non in alijs quibusdam peregrinis corporibus sed in ijsdem, quibus nunc circumdamur, & in quibus nunc sepelimur, speramus resurgere. Ephrem. Restituet terra corpus hominis illud, quod suscepit, sive id à fera disceptum, sive ab ave comedum, sive à quovis animante devoratum fuerit: & ne unus quidem capillus hominis in conspectu iudicis deerit.

f) lib. de
Resur. Cat.

de vita Ar-
tonij.

Contra Er-
rores Iohan-
Hierosol.
Ephrem.
serm. de re-
surrect.

6. Quod vero dictum Pauli quo carnem & sanguinem regnum Dei non possidere posse asserit, attinet, quod ad confirmandam suam heterodoxiam allegant. Respondemus, nequaquam ibi Apostolo sermonem esse de ipsa corporis humani substantia aeterno in se considerata, sed tantum & in de inharente carnis corruptione, quæ corpora nostra, sicut nunc sunt, crassiora facit, quam ut sub ista fragili conditione gloriae calestis queant esse capacia. Oportet igitur carnem & sanguinem seu corpus hoc corruptum peccato vitiissimum, inclinationibus obnoxium mutari, priusquam regni Dei hæreditate possiat. Atq; ita non substantia sed culpa nomine Caro & sanguis à regno Dei non à resurrectione arctetur. Hunc genuinum Apostoli sensum esse patet, ex (g) ipsis, & B. Augustini interpretatione. Frustra itaq; in illo dicto Antagonista heterodoxa sua absurditati quarunt pretiocinium.

(g) 1. Cor. 15.
v. 42. 45. 50.
August. l. 2.
contra Ad-
vers. c. 6.

CAPUT SECUNDUM.

De Cœlesti Statu, & liberatione damnatorum ex Inferno.

Error

Error primus.

Animæ Sanctorum non statim à morte in vitam
æternam transferuntur, ut Evangelici asserunt, sed dor-
miunt. Nam Christus inquit: Puella dormit. Lazarus
dormit. In Actis Stephanus obdormivit. Nolo vos igno-
rare inquit Apolitus, de dormientibus. (a)

a) Mat. 9. 24.
Iohann. 11. 1.
Act. 7. 6.
1. Thess. 4. 13.

REFUTATIO.

Error hic satis est perspicuus, & vult partim διαφανεῖσαι
Animas priorum corporibus solutas, è vestigio à morte calos nō
transcendere; partim ιγνωφανεῖσαι innuit, easdem usq; ad novissi-
mum diem certis in locis dormire, & tunc rursus induitis corpo-
ribus demum ad conspectum Dei produci. Ultramq; sententiam
verbo Dei contrariam & frivolis fulcris nitentem uno atq; altero
ariete ex S. Scriptura armatura deprompto facile labefactabi-
mus & evertamus. Prior ergo Erroris membrum negatiuum
ita oppugnamus.

b) Luc. 16.
22. c. 23. 43.
Marc. 9. 413
e. 16. 16.
Rhil. 1. 23.

1. Constat ex sacris literis duoduntaxat receptacula seu loca
esse, in qua Anima nexu corporis soluta colligantur; (b) Sinum
Abrahæ & Infernum, vitam & gehennam, salutem & condem-
nationem; nec alterius seu tertiae alicujus habitationis mentio-
nem ullam fieri. Proinde Anabaptista vel concedant neceſſe est,
quod Priorum iuxta ac Impiorum animæ singula ad alterutrum
horum locorum sibi destinatum rectâ & continuò post mortem
transferantur; vel cum Pontificijs intermedias sibi fingant &
fabricent habitationes, in quibus Animæ tam diu conclusa tene-
antur, quo ad in extremo die vel ad cœlos evehi vel ad inferos
detrudi possint. Quorum hoc, cum sit commenticium, absurdum,
fistile & S. Scriptura ignoratum; ut id in Antipapisticō nostro col-
lego (c) demonstravimus, utiq; illud certum Evangelicè verum
& immotum manebit; ut & id quamplurimis S.S. scripture di-
ctū probari potest.

2. R. x

vide Disp.
24. c. 2. Er. 1.
2. 3. 4.

2. Rex Salomon dactu Spiritus Dei testatur (d), quod Spiritus d) Eccl. 12, 3
redeat ad Deum, qui dedit illum; Si ergo p̄tē defunctorum Spi-
ritus ad Deum revertitur & statim cum Deo est: ab eo non able-
gandus nec segregandus erit, sed beatā Dei visione & noticia, in
qua vita aeterna præcipue sita est, indeq; exorto gaudio fruetur.
Monstratur id ipsum quoq; ea narratione, qua de Divite &
Lazaro mendico extat (d), ubi alter post mortem ab Angelis
portatus in sinum Abrahæ, consolatione fruitur, h. e. Deum vi-
det, in ipso latatur, & latam resurrectionem carnis expectat;
alter dicitur esse in tormentis & cruciari in flamma.

3. Porro Christus ipse asseverat, conversi ad se latronis & in
cruce expirantis animam eadem die secum in Paradiſo, seu vi-
ta beata futuram esse, dum ait (e): Hodie mecum eris in Paradiſo. Adverbium temporis Hodie satis ostendit beatam latronis
felicitatem non fuisse in extrema tempora proroganda. Quin imò
sanctorum animas à corpore discedentes sine omni mora & in-
tercedente recta ad consuetudinem caeleſti Ecclesiae traduci, te-
statur idem os veritatis, (f) religiosè iurans: Amen amen dico vo- f) Ioh. 6, 24.
bu, qui sermonem meum audit, & credit ei, qui misit me, habet Apoc. 14, 13
vitam aeternam, & in judiciū non veniet, sed transivit ex morte
in vitam. Sicut & Iohannes ait: Beati mortui, qui in Domino
moriuntur, à modo, à nāz̄n, seu confestim, statim cum moriuntur.
Hisce similia plura alia dicta S.S. Scripturæ, quibus idem pro-
bari potest, sacer codex suppeditat. (g).

4. Neg. deest nobis Orthodoxa Antiquitatis consensus. Polycar-
pus, qui temporibus Apostolorum floruit (h), cum flamas in-
gressurus esset ob Confessionem fidei, testatus est, ea die se repræ-
sentandum in ſpiritu coram Domino. Et Auguſt. veriſime di-
xit: Due habitationes ſunt, una in igne aeterno, alia in regno a-
eterno. Et alibi: Non est ulli ullus locus medius, ut poſſit eſſe, niſi
cum Diabolo, qui non eſt cum Christo. Item: Anima, hoc in-
ſermedio tempore, inter depositionem & receptionem corporis

B secundum

d) Eccl. 12, 3

d) Luc. 16, 25

e) Luc. 23, 43

f) Ioh. 6, 24.
Apoc. 14, 13

g) Sap. 3, 1, 9.
5, 1. ps. 31, 6.

Luc. 16, 9.

Act. 7, 59.

Cor. 5, 6.

Phil. 1, 23.

h) lib. 7. Ec-

clef. histor.

de ver. Ap-

ferm. 18. c.

28. lib. de

putor. me-

ritij & re-

mis. lib. de

Prædestin.

secundum ea quæ gessit, sive cruciatur, sive requiescit
5. Ex Patribus tamen videtur contrariari Irenæus, qui dicit hæ-
reticorū esse, quod libi persuadeant ē vestigio à morte calos tran-
scendere ad demiurgum, & ad conspectum Patris evehī non ex-
spectata Resurrectione mortuorum; Idq[ue] conatur evincere eo,
quod nos oporteat Christo in hoc quoq[ue] conformari, ut sicut ipse
non ascendit ad Patrem nisi post Resurrectionem; Ita & nos de-
beamus diem Resurrectionis expectare. Sed respondemus, nos hæc
Irenæi opinionem tanquam in S.S. literis non fundatam in modo q[ue]s
contrariam, pace illius respuere. Quod enim ad collationem
istæ nostri cum Christo, qua suam opinionem probare nicitur, at-
tinget, ea n[on] q[ui] nō à mānus de omnibus admittenda est. Per multa e-
num fecit Christus, quæ nos imitari nec possumus nec debemus.

6. Nec quicquam contra nos facit, quod quidam adferunt.
Si Anima cùm piorū tūm impiorū statim post mortē in suum de-
stinatū locum veniant, nihil opus esse extremo iudicio. Animæ si-
quidē absq[ue] corporib[us] initia tam[en] vel salutis vel condēnationis
à morte habent; perfectā verò felicitatem vel miseriam in die no-
vissimo obseruentur; ubi tūm totus homo corpore & anima constans,
vel in supplicium aeternum, vel in vitam aeternam migrabit.

7. Quod deinde in posteriori Errorū parte affirmatur, animas
piorum, postquam à corpore discesserunt, dormire & consopitas
esse; id inane est hominum istorum delirantium somnium, quod
ex S.S. scriptura solidè refutari potest. Christus enim allegans
Exodi dictum (i), de Abrahamo, Isaac & Jacobo, afferit
quod Deus illorum, non mortuorum sed viventium Deus sit;
quibus verbis non tantum Sadduceos Resurrectionem mortuo-
rum negantes refutat, sed insuper etiam probat, quod illi Patriar-
cha quantumvis corpore mortui, tamen parte sui meliore vivat.
Ac proinde, si vivunt, aliquid agant oportet, quandoquidem vi-
vere est agere, non dormire. Et in Iohannis Evangelista Apocal.
exempla celebrationis votorum & laudum Dei, quæ Anima
Martyrum & aliorum fidelium Deo in caelis decantant, multa

i)Exod. 3,6.
Matt. 22,32

recitantur (k). Ibidemq; sub altari clamare describuntur, quas suum desiderium exprimant expectatae Resurrectionis. Quis autem nō videt, clamare, carminibus celebrare, atq; vehementer cupere, non esse dormientium?

k) Apoc. 4.
8.c.5.9. c.7.
10.c.15. 3.

8. Praterea scribit S. Paulus (l), quod probarit magis emigrare ex corpore & esse cum Christo, & id sibi fore lucro non dubitat. Quod eius desiderium frustraneum & vanum fuisse. Quid enim profuissest Paulo hinc solvere, si statim cum suo Christo viceretur non erat? Certè dum hic viveret, scripsit de se (m), Vivo autem iam non ego: vivit verò in me Christus. Ad iuxta hanc Anabaptistarum sententiam Christus in eo post mortem non erat vicerurus sed dormiturus; Perrò, dum hic viveret & agnoscere & amare Christum potuit; At post hanc vitam si dormendum fuit, ab illis actionibus eum desistere oportuit. Omnia hac àtheólogarū abēta.

l) 2. Cor. 5.8.
Phil. 1.21.23.

m) Galat. 2.
v. 20.

9. Tum & exempla Enochii (n) & Eliae, qui vivi in cælum translati sunt: item Mosis & Eliae apparentium Christo in monte ac loquentium cum eo dico dein luxurias demonstrant, animas piorum post mortem non dormire sed vivere, sanctisq; & divinis operibus vacare.

n) Gen. 5.24
2. Reg. 2. 11.
Matt. 17.3.

10. His addi possunt hærationes. 1. Animæ piorum dicuntur beatæ(o). Cum vero omnis beatitudo in actione consistat, certò nobis persuasum, animæ non otiosas esse aut dormire, sed beatorum actionibus fungi. 2. Quod si nos Deum in hac vita intelligimus, amore complectimur & colimus; licet spiritui cum carne semper luctandum, animaq; in corpore tanquam ergastulo aggravetur: certè sequitur, ut simul ac anima à carne libera ta, habitatioq; hac terrena deposita fuerit, Deum magis cognoscamus & magis amemus. 3. Idq; potissimum, cum Apostolus promiserit, Deum, qui cæpit opus suum in nobis perfecturum, illud esse, usq; in diem Christi: quod si perficit, illud minimè videtur diuturno sopore interrumpendum. 4. Deniq; quia animæ iustorum

o) Apoc. 14.
13. 1. Cor.
13. 12.

Galat 5. 17.

Philip. 1. 6.
Sap. 3.1.

B 2 storum

storum in manu Dei sunt, soluta à corporibus, post mortem dormire non possunt.

11. Aburditatem quoq; hic Error adversariorum quam plurimis scatet. Si enim, ut volunt, Animæ piorum iuxta ac corpora somno opprimenterur Epimentideo, sequeretur Animas non esse immortales. Dormire enim hic per metaphoram mori significat. Tolleretur differentia inter hominem & bestiarū animas. Quint tandem Epicureismus stabiliretur &c.

p) Dan. 12. 2.

Matt. 9. 24.

Ioh. 11. 11.

Act. 7. 60.

1. Cor. 15. 18.

1. Thes. 4. 13

2. Pet. 3. 4.

q) 1. 6. 10.

3. 10. 115. 17

12. Neg^r Anabaptistis ista scripturarum locutiones favent, qua mortuos dormire & quiescere passim dicunt (p). Nam phrasis illa dextre intelligenda est, nempe de corpore tantum, quod post mortem habitu dormientium componi videtur, ut proinde certam spem resurrectionis habeamus, sicut dormientes evigilandi. Hinc & veteres κοιμηθεῖσαι vocarunt loca sepulcris destinata, ac si dicas *Dormitoria*, in quibus non animæ sed corpora humani: ut indicetur. Si illa vel maximè in terra compatescant, tamen non secut, ut dormientes alias, in extremo iudicio voce filij Dei excitanda esse.

13. Tum, si quis quoq; obijciat, quod in psalmū (q) passim dicatur: Non mortui laudabunt te Domine. Non est in morte, qui memor sit tui. Respondemus, id de ea beneficiorum ac laudum divinarum celebratione & vera doctrina propagatione accipi, quæ alijs hominibus servit, gloriamq; Dei latius in hac vita illustrat.

Error secundus.

Damnati & impij omnes & Diabolus ipse, tandem salvandi sunt.

REFUTATIO.

Quod vulgo dicitur nihil tam absurdum proferri posse, quin suos inveniat applausores. Idem quis non incommodè de praesenti

vid. Schluss-
selb. catal.
Hæreti. lib.
12. fol. 365.

presenti hoc errore pronunciez, qui & olim suos habuit partim
auctores partim propagatores in Ecclesia maximos, imprimis
Originem & Alexandrine Ecclesia antistitem & Monachos in
Palestinâ; & nunc iterum resuscitati ui à nonnullis Anabaptista
rum in proscenium educitur, palliatur, commendatur. Sed ut
impij hujus dogmati absurditas eò magis innotescat, ad sacrarū
literarum & rationum stateram examinanda erit.

1. Contrariantur illi scriptura dicta ea, quæ pœnas omnium
diabolorum & hominum damnatorum æternas & nunquam
desistas esse perspicue confirmant(a): quæ vermem eorum non
mortentem afferunt: Iram Dei mansuram super eos; paratum eis
esse ignem inextinguibilem, interitum æternum, iudicium æ
ternum, iudicium sine misericordia, pronunciant; Christum in
extremo die abiectum maledictos in supplicium æternum &c.
Quod si itaq; homines damnati usq; in æternum non videbunt
lumen & Diaboli in secula seculorum cruciabantur: quomodo
tandem erunt salvandi, aut quis finis panis ipsorum imponetur?
N. q; est, ut quis cavilletur, vocabulum æternitatis hic non abso
lutam sine fine perpetuitatem, sed periodicam & ambitu quodā
temporū limitatam diuturnitatē denotare. Id ipsum enim huic
quæstiōni accommodari non potest: siquidem ex sacris literis nū
quam convincietur, quod pœna damnatorum terminum habitu
ra sint, sed potius constat, nullam mutationem post sententiam
summi iudicis, quo ad statum rerum futuram esse. Quocirca nos
æternum, simpliciter in propria significatione accipimus & quic
quid assumitur, profigmento reputamus.

2. Deinde & rationes contra prodigiosum hunc Errorem mili
tant. 1. Quia damnatorum peccata mortalia finita quidem &
temporalia violant & contemnunt æternum & infinitum bonū,
videlicet Deum, & æternam vitam; iustissimè igitur infinitis &
æternis pœnis puniuntur. Cum enim duplex sit qualitas pœna se
cundum intentionem acerbitatis, & secundum durationem i.e.

B 3 poris

- a) Isa. 66. 24.
Ioh. 3. 36.
Matt. 3. 12.
2. Thes. 1. 9.
Hebræ. 6. 2.
Iacob. 2. 23.
Matt. 25. 41.
Psal. 49.
Apoc. 20. 10.

poris, & natura impiorum finita non capax sit infinitæ acerbitatis, queritur ut saltem duratione temporis pena sit infinita.

b) Ps. 69. 28.
Ier. 4. 22.
c. 8. 6. c. 9. 5.
6. c. II. 15.

2. Quia perpetuò peccare cupiunt impij(b), apponunt iniqutatem super iniqutatem, & nunquam peccare desinunt, dum vivunt, iuslè etiam supplicijs nunquam desinentibus à destriicto indice, non tantum facta, sed voluntates & corda hominum pensante, vindicantur. 3. Adde, quia damnati spiritus & homines regno gratia prossus exciderint, in regno ira sint, ac nil nisi irasam & vindicatricem Dei presentiam in inferno experiantur;

c) I. Tim. 5. 8

Quin, cum increduli abiurant(c) fidem, quomodo finem fidei, id est, vitam aeternam consequentur?

d) I. Cor. 15. 22.

3. Quamvis verò Adversary nulla ratione probabili hic quicquam possint struere; tamen argumenta hinc inde conquirunt, quibus evincant, vel saltem hominum damnatorum: pœnis seu cruciatibus finem aliquando impositumiri. Ut ex hoc dicto(d): Sicut in Adamo omnes moriuntur, ita & in Christo omnes vivificantur; concludunt, omnes homines esse servandos, ut iam latè pateat Christi beneficium, quam Adami noxa & damnum. Sed particula Omnis, ad universitatem referenda est, non eandem, sed utriq; eorum propriam. Ut enim in Adamo moritur tota posteritas ab ipso derivata; ita per Christum turba credentium viviscaatur ad vitam beatam. Deinde intelligitur vivificatio illa per Christum acquisita, qua ad omnes homines refertur; non applicata, qua ad solos eredentes. Et quod Christus acquisierit tantum tamque exuberans meritum, cuius vi totus viviscetur mundus, si totus mundus crederet. 3. Quemadmodum in Adamo omnes homines moriuntur ita & in Christo omnes vivificantur. At in Adamo non omnes nisi increduli & impij moriuntur (morte aeterna). Ergo & in Christo non omnes nisi credentes vivificantur (vita aeterna). 4. Etsi deniq; ad Resurrectionem mortuorum hoc dictum referri possit, quod in novissimo die omnes

omnes homines quotquot in Adamo mortui fuerunt, sunt resu-
scitandi è sepulcris per hunc ipsum hominem Christum Iesum,
quamvis sorte & eventu valde dispari: Paret tamen ex tex-
tu Apostolū hic non agere de Resurrectione mortuorum in ge-
nere; sed speciatim de R. surrectione ad vitam aeternam. Dein-
de ita arguunt; Si Christus pro omnibus mortuus est, etiam pro
impiis & damnatis; neq; ijs irrita & occiosa erit Christi passio. Et
per consequens, Damnati aliquando salvabuntur. Verum ne-
gatur consequentia; nam propositio non est simpliciter vera.
Et si damnatis occisa est Christi passio, non quoad meritum;
quod etiam pro ijs si illud fide amplecterentur, faceret, sed quo
ad actum Salvationis siue salutarem usum, attamen quo ad a-
ctum condemnationis Christus mortifero odore iustissimus illis
judex est. Nam incredelis eò quod sermonem veritatis de ex-
hibito M. Iesu & Salvatore non receperunt condemnatione ag-
grauata & omnis perditionis excusatio praesita est.

4. Deniq; subiungimus Canonem (e) Synodi Constantinopoli-
tanæ, & Augustini, instar omnium, testimonium. Articu-
lus enim Non u istius Synodi sic habet: Si quis dicit aut sentit
temporanea esse Dæmonum aut impiorum hominum tormenta,
sinemq; ea tempore aliquo habituros; siue restitutionem Dæmonū
aut impiorum hominum futuram esse, Anathema sit.

Augustinus summam sententia sua ita explicat. (f) Quam-
obrem prorsus nec alia causa nec iustior nec manifestior inve-
niri potest, cur verissima pietate teneatur fixum & immobile,
nullum regressum ad iusticiam vitamq; sanctorum Diabolum
& Angelos eius ac homines damnatos esse habituros, nisi Scri-
ptura, qua neminem fallit, hoc dixit; an forte Dei sententia,
qua in malos & angelos & homines profertur, in angelos vera
erit, in homines falsa? Ita planè hoc erit, si non quod Deus dixit,
sed quod suspicuntur homines, plus valebit, quod fieri quia non
potest,

e) Niceph. l. II.
17. cap. 28.

f) Lib. 1. de:
Civ. Dei.
cap. 2. 3.

potest, non argumentari adversus Deum, sed divino potius, dum tempus est, debent parere praecepto, qui sempiterno cupiunt care-re supplicio. Inde enim haec vita tempus est Pænitentiae fructuosa. Postquam vero dictum fuerit à Iudice vivorum & mortuorum, Venite, discidite, nimis presumptionis est dicere, cuiquam eorum non futurum supplicium aeternum, quos Deus ituros dixit in supplicium aeternum.

Absoluto itaque Ecce hoc nostro Exercitio contra Anabaptistas suscepto, in quo eorum Erroribus crassissimis detectis nostras refutationes opposuimus; aeterno patri luminum toto pectore gratias agimus, quod depulsis à nobis tam crassis tenebris, luce verbi sui per S.S. Spiritum suum nos illustraverit, ac in omnem veritatem perduxerit, eundemque porro coniunctis votis ac precibus oramus, ut porro nos contra hosce pluresque alios haeticos, defensos, in veritatis cælestis cognitione crescere faciat, inque ea donec in futura vita plenissime cum cognoscamus, conservet, per Dominum nostrum Iesum Christum, cui sit laus, honor
Ecce gloria in secula seculorum,
Amen.


SOLI DEO GLORIA



Universitäts
Bibliothek
Rostock

[http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn737667206/phys_0019](http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn737667206/phys_0019)

DFG



præsenti hoc errore pronunciet, qui & olim suæ
auctores partim propagatores in Ecclesia ma-
Originem & Alexandrina Ecclesiæ antisitem
Palestinæ; & nunc iterum resuscitatus à nonno-
rum in proscenium educitur, palliatur, com-
impij hujus dogmatis absurditas eò magis inno-
literarum & rationum stateram examinanda

1. Contrariantur illi scriptura dicta ea, qua
diabolorum & hominum damnatorum aeterna
desituras esse perspicuè confirmant(a): quæ ve-
morientem afferunt: Iram Dei mansuram sup
esse ignem inextinguibilem, interitum aeterni-
tum, iudicium sine misericordia, pronunciatum
extremo dæ abiectum maledictos in supplicio.
Quod si itaq; homines damnati usq; in aeternum
lumen & Diaboli in secula seculorum crucia-
tandem erunt salvandi, aut quis finis panis ipij
N. q; est, ut quis cavilletur, vocabulum aeterni-
litam sine fine perpetuitatem, sed periodicam
temporis limitatam diuturnitatem denotare. In
questione accommodari non potest: siquidem
quam convincetur, quod pænae damnatorum
ræ sint, sed potius constat, nullam mutationes
summi iudicis, quo ad statum rerum futuram
aeternum, simpliciter in propria significatione
quid assumitur, profigmento reputamus.

2. Deinde & rationes contra prodigiosum hab-
tant. I. Quia damnatorum peccata mortaliæ
temporalia violant & contemnunt aeternum &
videlicet Deum, & aeternam vitam; iustissime
aeternis pænis puniuntur. Cum enim duplex si-
cundum intentionem acerbitatu, & secundus



- a) Esa. 66. 24.
Ioh. 3. 36.
Matt. 3. 12.
2. Thes. I. 9.
Hebræ. 6. 2.
Iacob. 2. 23.
Matt. 25. 41.
Psal. 49.
Apoc. 20. 10.